



## **Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi Thomae tomi quinque**

Accvratam Qvæstionvm D. Thomæ, Ab LXXXIV. Vsqve ad finem: &  
Disputationum de virtute Pœnitentiæ, De Clauibus, De Sacramentis  
Pœnitentiæ, & Extremæ Vnctionis, De Purgatorio, Suffragiis & Indulgentiis,  
expositionem complectens : Accesserunt Indices quinque: ... Postremus

**Suárez, Francisco**

**[Köln], 1616**

Disputatio XXIX. De Ministro quo ad casus reseruatatos.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93815)

reuoct, neque aliud intenter. Præsertim cum moraliter loquendo, possint occasiones occurrere, ob quas prudenter hoc fiat, sæpe enim examen per alios fit & non recte fit: & aliquando moraliter constat plures indignos vel negligentia, vel malicia, vel casu inter dignos esse approbatos, & ad vitandam infamiam, vel scandalum, expedit omnes iterum ad examen vocare. Non est ergo hoc extra Episcopi potestatem, quanuis illa uti non debeat in alicuius infamiam, nec sine rationabili causa, de qua redicitur esse quædam declaratio Cardinalium num. 664. in qua generaliter dicitur, semel promotum ab Episcopo, non posse iterum ad examen vocari, nisi nona causa sit orta.

ASSERTIO. III.

**A**ddo vero: Episcopum non posse sine iusta causa approbationem subditis etiam semel datam reuocare: & probabile esse talem reuocationem sine causa, esse nullam: quanuis res sit dubia, & timenda. Prior pars probatur: primo, argumento dict. cap. Accipimus, Etate, & qualitate, ex quo habemus, eum, qui semel tanquam idoneus approbatus est, non esse tanquam indignum reuocandum, nisi constiterit denuo factum esse indignum. Deinde probatur ratione, quia hæc approbatio, ut supra diximus, non est aliqua gratia vel fauor, sed est iuridica quædam declaratio, quæ se habet tanquam iusta sententia ex iustitia debita: ergo non potest iuste reuocari sine causa. Item à principio non posset iuste negari sine causa; ergo multo minus postea reuocari. Et hinc probatur secunda pars, quia talis reuocatio sine causa facta, est quasi ablatio iuris iam acquisiti, vel quasi reuocatio sententiæ iustæ sine causa: ergo non tantum est iniusta, sed etiam nulla. Et declaratur, quia per approbationem semel datam talis sacerdos manet approbatus, nec potest iam non esse approbatus, & idoneus si ipse non mutatur, quia iam habet quiddam Concilium Tridentinum in illo exigat: nec videtur illa approbatio ita pendere moraliter à voluntate approbantis, ut per solam eius retractationem iniuste factam tollatur. In quo est diuersa ratio quando iusta causa intercedit, quia tunc non reuocatur efficaciter prior approbatio propter solam voluntatem, sed propter nouam declarationem, quæ est quasi noua sententia iusta, efficax ad irritandam priorem. Est etiam magna differentia inter approbationem iam datam, & voluntarie reuocatam, vel à principio negatam, quia quando negatur à principio, homo nunquam fuit approbatus; & ita nunquam fuit in eo impleta conditio à Concilio Tridentino requisita, quæ tamen impleta fuit in eo qui semel approbatus est.

**H**æc vero rationes non sunt à deo euidentes, quin relinquunt rem aliquo modo dubiam: quia potest fortasse Episcopus subdito suo non exempto concedere hanc approbationem ad tempus limitatum, vel vsque ad beneplacitum suum: & verisimile est hanc esse eorum intentionem, saltem implicitam circa seculares clericos, qui eis sunt subditi: nam circa regulares exemptos hæc non habent locum propter priuilegium adductum, & alia, ratione quorum non ita pendet ex voluntate Episcoporum. Respectu vero subditorum potest etiam interuenire aliud practicum dubium: quia non potest tam facile constare, reuocationem esse omnino iniustam, & sine legitima causa: vbi autem hoc aperte non constiterit, semper est pro superiore præsumendum. Et quoniam hæc conditio talis est, ut ex illa pendeat valor sacramenti, ideo dixi non esse contemnendam hanc reuocationem, sed timendam.

Fr. Suarez tom. 4.

DISPUTATIO XXIX.

De ministro huius sacramenti quoad casuum reservationem.



Actenus dictum est de ministro confessionis generatim, & quoad absolutionem à peccatis, quæ nihil habent speciale in hoc foro, nunc super est dicendum de Ministro requisito circa quædam peccata specialiter reseruata in hoc foro. In qua re primum supponitur, dari posse hanc reservationem: & denique inquiritur, illa supposita, à quo possit dari absolutio. Illud ergo prius in hac disputatione tractabimus, de altera vero parte dicemus disputatione sequente.

SECTIO I.

An sit in Ecclesia potestas reseruandi peccata.

**R**eservatio in præsentem nihil aliud est, quam absolutio seu non concessio iurisdictionis ad absoluendum ab aliquo peccato, quanuis circa alia concedatur. Hanc enim nominis significationem supponere oportet ex communi vsu Doctorum omnium in hac materia. De hac ergo reservatione dixit hæreticus Vuicleph esse contra charitatis regulas fundatam, ut refert Vualdenfis Tom. 2. de Sacrament. cap. 149. vbi hunc errorem ex Patribus impugnat. Hæretici etiam huius temporis negant Ecclesiæ hæc potestatem in foro interiori, quia putant in Ecclesia non esse potestatem ad absoluendum in hoc foro: & consequenter negant potestatem reseruandi: quia priuatio supponit habitum. Verum tamen hi hæretici supponunt falsum fundamentum, & iam reprobatur. Et quod de lege charitatis attingit Vuicleph, nullius momenti est: nam supposita potestate, potest hæc reservatio esse conueniens ad commune bonum, imo & ad priuatam singularum personarum. Et ideo non est cur charitati repugnet talis reservatio. Maior ratio dubitandi est: quia videtur talis reservatio repugnare institutioni, & veritati huius sacramenti: quia essentialiter postulat, & integram confessionem, & integram absolutionem: ergo etiam postulat integram iurisdictionem circa omnia peccata mortalia: repugnat ergo institutioni, & naturæ huius sacramenti dare iurisdictionem circa quædam peccata mortalia, & tollere circa alia.

Prima Conclusio.

**N**ihilominus dicendum est primo, esse in Ecclesia potestatem reseruandi aliqua peccata superioribus iudicibus. Est de fide definita in Trident. sess. 14. c. 7. & c. 11. Et probatur antiquissimo vsu: Nam in Conc. Catthag. 3. ca. 32. & in Conc. Afric. c. 10. & habetur 26. q. 6. ca. vlt. dicitur, ut presbyter non absoluat poenitentem in consulto Episcopo, nisi necessitate cogente, in ipsius Episcopi absentia. Idem colligitur ex c. Latorem. 33. q. 2. vbi est sermo de peccato matricidij. Et simile est in Conc. Vormatiens. ca. 30. verum est, in his, & similibus decretis non esse sermonem expressum de hoc sacramento, sed interdum de poenitentia publica: tamè verisimile est, quando poenitentia erat reseruata, etiam absolutionem à culpa reseruata fuisse, ut colligitur ex Cypriano lib. 3. Epist. 16. alias Epist. 12. & ex Benedicto 11. in Extrauag. Inter cunctas, de Priuileg. vbi fit expressior mentio casuum reseruatorum, sicut & in Clem. 1. de Priuileg. & in Extran. Et si Dominici, de poenit. & remiss. & in c. Si Episcopus, de Poen. & rem. in 6. Pro hac etiam conclusione refert Vualdenfis Innocentium 3. in Concione de Sanctis Apostolis Petro & Paulo. Citari etiam solet Origen. homil. 8. in Leuit. & homil. 10. in Num. & August. in ca. In actione, de Poenit. d. 1. quod

Reservatio quid sit.

Vualdens.

Rati duo biquani.

Esse in Ecclesia potestatem reseruandi peccata. Conc. Tri. Conc. Cypri. Conc. Afr. Concil. Vormatiens.

Cyprian.

Origen. August.

d. i. quod partim desumptum est ex Enchiridi, cap. 67. Et ex Epist. 118. c. 3. Sed ex iis locis non potest sumi argumentum, quod admodum vrgeat.

Ratio à priori.

Ratio à priori est, quia iurisdicção necessaria in hoc sacramento manat à superioribus Ecclesiæ prælatis ad inferiores ministros, & ideo potest iuxta illorum arbitrium esse magis, vel minus limitata. Quod non repugnat huic sacramento, vt obijciebatur, quia quâdo alia peccata fuerint coniuncta cum reseruatâ, per se loquendo, cessare debet minister inferior ab vsu iurisdicçãois, et à circa alia peccata, propter cõnexionem: totumque hoc includitur in reseruatione ipsa: de quo dicitur laus disp. seq. Congruentia vero est quam tetigit Concilium Trident. quia visum est pastoribus Ecclesiæ hoc expedire ad rigorem disciplinæ, & vt fideles magis contineantur ab huiusmodi peccatis, saltem propter difficultatem obtinendi absolutionem, & vt à prælatis melius corrigantur, & ad emendationem iuuentur.

Quibus hæc potestas conueniat in Ecclesiâ.

Atque ex hac veritate, & fundamentis eius consequenter intelligitur, quibus hæc potestas conueniat in Ecclesiâ, & respectu quorum. Dicendum est enim generaliter hanc potestatem esse in his, qui habent ordinariam iurisdicçãoem, respectu eorû, quibus eam delegare possunt: quod est per se euidentis. Nam delegatio est voluntaria, & ideo sicut possit omnino non fieri, ita etiam potest tantum ex parte fieri, id est, circa quasdam causas, & non circa alias, quæ proinde reseruatæ manent: ille enim, cui delegatur iurisdicção, ex se non habet ius ad illam, sed ab alio libere datur: vnde fit, vt & maior & minor possit dari voluntarie. Secundo sequitur, quencunquæ delegantem habere ius reseruandi, si velit. Quod de Parochis in specie adnotauit Maior d. 17. q. 5. nam de superioribus nullum est dubium. Consiuetudo autem non habet vt huiusmodi sacerdotes proprii aliquid sibi reseruent, quando suam iurisdicçãoem delegant: quia vel non audent tanta auctoritate vt, vel ordinarie non expedit, quia tam idonei censentur coadiutores, sicut ipsi.

Secunda Conclusio.

Habentem ordinariam iurisdicçãoem posse reseruari.

Dicendum præterea est, eum, qui habet iurisdicçãoem ordinariam in hoc foro, posse reseruare peccata respectu inferioris habentis ordinariam potestatem. Quauis enim in potestate ordinis omnes sacerdotes sint æquales; tamen in potestate iurisdicçãois sunt valde inæquales, vt ex superioribus satis constat. Et ideo etiam inter ipsos ordinarios pastores est subordinatio in hoc foro, quæ ad bonum regimen maxime necessaria est in omni iudicio. Ideoq; potest superior inferioris iurisdicçãoem coartare, sibiq; casus aliquos reseruare. Atq; hinc fit posse Pontificem reseruare casus respectu omnium, siue sint Episcopi, siue quicunque alij prælari: quod est certum de fide ex vsu Ecclesiæ, & ex citatis decretis, & ex supræmâ potestate Summi Pontificis. Et ratio petenda est ex supra dictis: nam omnis iurisdicção, quæ est in Ecclesiâ, tam delegata, quam ordinaria, manat à Summo Pontifice: ergo habet ipse potestatem extendendi, vel limitandi illam, prout expedire iudicauerit: potest ergo reseruando sibi casus, inferiorum iurisdicçãoem coartare. Vnde etiam clarum est, hanc potestatem conuenire illi de iure diuino: est enim veluti quidam actus, seu quædam pars supræmæ potestatis sibi à Domino concessæ.

Episcopum posse reseruare casus respectu parochorum.

Secundo sequitur, posse Episcopum reseruare casus respectu Parochorum sibi subditorum. Hoc constat ex vsu Ecclesiæ ex Conci. Trident. & alijs decretis citatis. Et ratio etiam, seu congruentia hoc postulat: quia ipsi sunt sub Pontifice, ad quos maxime pertinet animarum cura: & ideo oportuit vt haberent potestatem pro suis ouibus ordinarie debitum

A ac conuenientem modum administrandi hoc sacramentum, atque adeo vt possent sibi aliquarum casuum cognitionem reseruare. Vnde autem illis conueniat hæc potestas, non potest ita facile iudicari: quia ordinaria iurisdicção Parochorum proprie nõ videtur ab illis manare, sed à summi Pontificis institutione. Vnde ego censo ipsos Episcopos habere hanc potestatem à Sum. Pont. vt recte etiam sentit Nauar. in Sum. ca. 27. n. 263. in fine. Et facile probari potest ex supra dictis de iurisdicçãoe Episcoporum. Itaque licet distributio seu diuisio Parochiarum, & iurisdicção ordinaria parochorum sit ex institutione Summorum Pontificum, tamen ex eadem institutione manauit, vt parochi in hoc essent quasi dependentes ab Episcopis, & illis subordinati: quia ad conueniens Ecclesiæ regimen ita expediebat.

Tertio sequitur, alios, qui in Ecclesiâ habent iurisdicçãoem ordinariam similem seu proportionatam Episcopali, aut Parochiali, posse etiam reseruare casus eadem proportione, vt fit in religionibus. Et ratio ex dictis clara est. Solum est aduertendum, religiosos vti in hac re, sicut in alijs, speciali iure, & modo, iuxta cuiusq; religionis institutionem. Quo fit, vt non solum Prouinciales, qui vniuersaliorem, & superiorem quandam iurisdicçãoem habere videntur, sed etiam proximi prælati seu Rectores habeant aliquot casus sibi reseruatos, quos non tam ipsi sua auctoritate & voluntate reseruant, quam communi auctoritate seu ordinatione religionis præscriptum est, vt in eis ab soluendis iurisdicção sit superiori reseruata: neque enim expediebat vt singulorum arbitrio ac voluntati hoc committeretur. Vnde, vt in hoc non fierent aliqui excessus, certa quedam regula reseruandi casus à Sanctissimo D. N. Clemente VIII. religiosi omnibus tradita est, quam ipsi sedulo obseruare tenentur, nisi ab eodem Pontifice Summo declarationem vel moderacionem aliquam circa illam habeant, de quare in sequentibus occurret occasio plura dicendi.

Tertia Conclusio.

Vltimo dicendum est: eum, qui habet hanc potestatem, posse reseruare casus, non tantum sibi, sed etiam alteri. Hoc aperte constat, quia potest & ab altero auferre iurisdicçãoem, & alteri rationabili arbitrio illam concedere, vt Papa reseruatur casus, non solum sibi, sed etiam Episcopis: & Episcopus possit reseruare aliquem casum, & committere illum Decano, vel Archidiacono, &c. Vnde non probo quod Soto dist. 18. quæstion. 2. articulo 5. absolute dicit, si Episcopus reseruet vnum casum ab soluendum à Decano, alterum ab Archidiacono, &c. reseruacionem esse ridiculam, & non validam: hoc enim nulla ratione fundatum est, quia potestas non deest, vt probaui; & potest prudenter fieri, si cum debita moderacione, & ratione fiat. Vnde in Concilio Tridentino sess. 24. cap. 6 quidam casus reseruantur Episcopo, vel vicario eius ad hoc specialiter deputato, peccatum autem hæresis occulte reseruat sibi ipsi Episcopo: & simili modo possit alia distributio fieri, si expediret. Denique potest Episcopus, verbi gratia, peccatum aliquod sibi reseruare, & deinde facultatem suam alteri committere, cui voluerit, aut expedire tenuerit: ergo à principio poterat culpam alteri reseruare: nã tunc vnico actu duplicem illum effectum facit: scilicet, reseruacione respectu vnus, & delegationem respectu alterius. Nulla est ergo ratio dubitandi de potestate. In vsu vero eius prudentia, & moderatio necessaria est: nã quando superior non reseruat sibi ipsi, facilius potest præbere inferiori occasione sentiendi: grauem, aut iniuriam: nam, cum ipse habeat ordinarium ius, non debet tam facile alter illi præferri, sed solum ob magnam vtilitatem ouium faciendum id est. Nihil

Habentem hanc potestatem posse reseruare casus respectu alteri.

Seruo regit. latus.

R. per ha. co. ca. an.

Nihilominus tamen, etiam si superior in hoc aliqua-  
tulum excedat, non propterea est eius reservatio  
contemnenda; quia licet sit impudens, non ideo est  
nulla, ut magis ex sect. 3. patebit.

SECTIO II

*Virum sola peccata, quæ habent excommunicatio-  
nem annexam, reservari poss. n. & solum  
quoad censuram, vel etiam quo-  
ad culpam.*

Durand.  
Casil.  
N. aut.  
Durand.

**I**n hac sectione explicandum est in generali obie-  
ctum, seu materia circa quam huius reservationis  
seu potestatis ad illam faciendam; Circa quod Du-  
rand. in 4. d. 17. qu. 15. dicit consuetudinem Ecclesiæ  
Romanæ esse reservare censuram, non culpam, nisi  
ratione censuræ; & alios Episcopos, qui interdum  
reservant peccata non habentia censuram annexam,  
in hoc non conformari Ecclesiæ Romanæ. Et fere  
eamdem sententiam docet Caieta. in Summ. verb.  
Casus. & Naua. c. 27. n. 261. & Ruardin ait 3. Verum-  
tamen hi auctores non tam de potestate, quam de  
facto loqui videntur, de quibus nos sigillatim, ac  
breuiter dicemus.

*Prima Conclusio.*

2  
Quidam  
posuit Summ.  
penult. 70.  
10 Mart.

**C**ertum ergo est, tam Summum Pontificem,  
quam ceteros pastores ordinarios, de quibus in  
precedenti sectione locuti sumus, posse non tan-  
tum censuras, sed etiam culpas reservare, & non tan-  
tum si habent censuram annexam, verum etiam si  
non habeant. Verumque est certum, conuinciturque  
ex decretis & rationibus, quibus probauimus esse in  
Ecclesiâ hanc potestatem: & patet ex Concil. Trid.  
sess. 4. c. 7. vbi aperte loquitur de reservatione cul-  
parum; & ponderandum est illud verbum, *Preser-  
uimus quoad illa, quibus excommunicationis censura anne-  
xa est.* & in Extrauag. *Inter cunctas*, de Priuileg. id af-  
firmitur, & numerantur aliqui casus reservati, quibus  
non est annexa censura, & hoc probat vsus Episco-  
porum, & religionum. Et ratio supra facta hoc i-  
psum conuincit: quia iurisdictioni necessaria ad ab-  
solvendum à culpa communicatur per Pontificem,  
& prelatos Ecclesiæ, etiam circa peccata, quæ non  
habent annexam censuram: ergo potest hæc limi-  
tari, & restringi: ergo possunt casus quoad culpam  
reservari independenter à censura.

*Prima conclusio.*

3  
Reservari  
peccata non  
habentia ex-  
com. nisi  
censuram  
annexam.

**C**irca aliam partem de facto, dicendum est primo,  
sæpe reservari in Ecclesiâ peccata, quæ non  
habent excommunicationem annexam. Hoc est  
certissimum in Episcopis, vt constat ex vsu: item in  
religionibus approbantibus etiam Summis Ponti-  
ficibus: vnde dubitari non potest quin hoc & vali-  
de, & licite fiat. De Summo autem Pontifice dubiū  
est, an reseruet aliquos casus non habentes cen-  
suram annexam. In quo iam non agitur de potestate,  
vt dictum est, sed de vsu, neque agitur de vsu Ec-  
clesiæ Romanæ quatenus est diocesani quædam par-  
ticularis, cuius proprius & immediatus Episcopus  
est Summus Pontifex: nam forcasse in illa etiam sunt  
aliqua peccata, reservata absque censura, specialia  
illius Episcopus sicut inueniuntur in aliis: sed ser-  
mo est de vsu Pontificis quoad vniuersalem Ecclē-  
siam, quatenus reseruat aliquos casus, vt supremus  
pastor eius. In quo agere possumus aut de vsu anti-  
quo, aut de illo qui nunc viget in Ecclesiâ Romana.  
Nam quantum ad illam videntur esse quædam in-  
dicia reservationis, quæ olim fiebat Summo Pon-  
tifici aliquorum peccatorum, quæ non habebant

Fr. Suarez tom. 4.

**A** censuram annexam. Legimus enim in cap. *Latoribus*  
33. q. 2. Nicolaum Papam penitentiam imposuisse  
cuidam matricidæ: vnde significatur illud pecca-  
tum fuisse tunc reservatum Summo Pontifici, cum  
tamen non haberet censuram annexam. Verumta-  
men non satis constat delictum illud non habuisse  
tunc adiunctam excommunicationem, cum peccator  
ille etiam penitentiam postularet, & inchoa-  
tam à communione arceretur, vt ibi dicitur: Neque  
etiam cõstat illam fuisse propriam reservationem:  
nam interdum Episcopi in atrocioribus criminibus  
solebant consulere Pontificem de penitentia  
imponenda, non quia carerent potestate absoluen-  
di à culpa, sed quia timebant illa vti in aliqua causa  
grauissima sine concilio supremi pastoris, vt colligi  
potest ex alio simili decreto eiusdem Nicolai in cap.  
*De viro*, 12. q. 2. Vel certe, quia circa aliqua peccata  
erant regulæ statutz de penitentia pro illis impo-  
nendis, vt de illo peccato matricidij constat ex  
Concilio Vormatiensi c. 30. ideo quando Episcopi  
has regulas ignorabant, consulebant Pontificem.  
Vel propter alias causas: Quod vno verbo insinua-  
uit Antonin. 3. p. tit. 17. c. 11. vbi etiam ait, se non le-  
gisse esse aliquod peccatum ita enorme, à quo non  
posset absolueri Episcopus, nisi habeat sententiam  
aliquam annexam. Ex quo etiam mihi incertum est  
aliud indicium, quo aliqui putant, peccata quæ-  
dam, quibus iniuncta olim erat penitentia publi-  
ca, fuisse reservata Summo Pontifici, quauis non  
haberent censuram annexam. Nam in Extrauag.  
*Inter cunctas*, de Priuileg. admonentur religiosi Men-  
dicantes, ne absoluant à criminibus, pro quibus est  
solennis penitentia iniungenda: vnde etiam sup-  
ponitur, parochos non posse ab eis absolueri: nam  
dicti religiosi pares quoad hoc efficiuntur Paro-  
chis. Sed quidquid sit de hac reservatione, de qua  
infra dicemus, ad summum inde habetur, talia pec-  
cata esse reservata Episcopis, nõ vero Summo Pon-  
tifici. Itaque de consuetudine antiqua nihil mihi satis  
constat.

**D**e presenti vero tempore auctores citati censent  
nullum peccatum esse nunc reservatum Summo  
Pontifici, quod nõ habeat censuram annexam. Que-  
res: quia ad factum pertinet, solum potest probari  
auctoritate negativa, nimirum quia nec in toto cor-  
pore iuris Canonici, neque in bullis Pontificiis nũc  
talibus reservatio reperitur. Nam ad suum vniuersale  
regimen censuerunt Summi Pontifices sufficere re-  
servare tantum grauiora et imina habentia Pontifi-  
ciam excommunicationem annexam. Difficilis ta-  
men est hæc probatio: quia difficile est discurrere  
per omnia iura & decreta, in quibus Pontifices, pec-  
cata reseruant. Et ideo censo satis esse: si dicamus,  
regulariter, & quasi iure ordinario peccata sine cẽ-  
sura non reservari à Summis Pontificibus; quam  
limitationem addo, quia in dicta Extrauag. *Inter  
cunctas*, inuenitur quædam reservatio sine censura,  
Præcipitur enim ibi Parochis, vt admittant confes-  
siones suorum parochianorum factas Mendacanti-  
bus, nec possint contra illos excipere, nisi in duo-  
bus casibus: scilicet, quando parochianus est *excom-  
municatus, aut notorius peccator*: & subduntur itacim  
hæc verba: *Sed videat ne id dicat mendaciter, aut in do-  
lum, vel in fraudem: quia, si hoc egerit, à delicto tali, nisi  
plane satisfecerit, præterquam in morte absolui nequeat,  
nec de illo ad penitentiam aliter admittatur.* Vbi pro-  
pter mendacium illud perniciosum nulla censura  
imponitur; & tamen illa videtur propria ipsius re-  
servatio: quia, licet non sit absoluta, sed sub ea con-  
ditione, *Nisi plene satisfeceris*, tamen illa satisfactio  
non est solum ea, quæ præcisè necessaria est ad  
veram penitentiam, & veram contritionem, vel  
attritionem habendam, alias non oportuisset ad-  
dere exceptionem de articulo mortis: imo & tota  
illa clausula superuacanea fuisset: nam constat ne-

Kk 2 minem

minem post iniuriam illatam posse absolui, etiam in articulo mortis, nisi facta satisfactioe, eo modo quo fieri potest, iuxta opportunitatem occurrentem: igitur, aliquid amplius ea conditione postulari: id autem nihil aliud est, nisi ut tale peccatum referuatum maneat, donec ipsa plena satisfactio exhibeatur. Quamuis autem non exprimat, cui fiat referuatio: tamen, cum absolute fiat, manifestum est auctori canonis fieri, qui est Summus Pontifex. Et licet illa Extrauagans quassata fuerit per Clement. Dudum, de Sepulturis: fortasse quoad hanc partem reuocata non est, quia solum videtur derogari quoad ea, quae spectant directe ad facultates & priuilegia religiosorum: vel certe, quamuis derogata fuerit, satis inde colligimus, illum modum referuationis non esse omnino praeter usum Pontificium.

Expressius vero id nobis constat ex motu proprio Sixti V. anni 1589. contra clericos male promotos, quos non excommunicat ob illam culpam, sed tantum suspendit, & tamen subdit haec verba, *Personae sine vitiis, delinquentes, tam scilicet Antistes, seu Abbates promouentes quam clerici male insigniti seu ordinati, a reatibus & excessibus praesatis absolui, praeterquam in mortis articulo, non possunt.* Et prius dixerat, *Tam absoluedi, quam dispensandi facultatem in casibus superioris expressis etiam in foro conscientiae nobis, & successoribus nostris duxitaxat perpetuo referuamus.* Haec autem proxima verba poterant exponi de absoluteione a suspensione, & dispensatione ab irregularitate: tamen ex aliis satis constat referuationem fieri ipsarum culparum, ut patet ex illis verbis, *reatibus, & excessibus.* De illo tamen Motu proprio etiam fertur esse moderatum a successoribus, non tamen mihi constat, an haec referuatio fuerit sublata, quia moderacionem ipsam videre non potui. Praeter has autem, haecenus non inuenio referuationem Pontificiam sine annexa excommunicatione: id vero satis est ad constituendam moralem regulam, quod Pontifices non referuant peccatum, nisi simul ferendo ratione illius excommunicationem referuatum: quae erit infallibilior si generalius dicamus non referuare, nisi adiungendo aliquam censuram, vel irregularitatem.

Superest autem dubitatio circa hanc Pontificiam referuationem, ut de facto sit, an referuatio cadat immediate in culpam, an solum in censuram. Nam, licet haec duo sint coniuncta, tamen distincta manent. Et de censura in dubitatum est proxime & immediate referuari, ut ex ipsis iuribus euidenter constat: & quia non est aliud, quo mediante referuetur, ut satis in propria materia dicemus. Culpam vero duobus modis intelligi potest manere referuata: primo solum mediate & in alio, nimirum, quia nullus potest a peccato absolui durante censura, & ita referuata censura, videtur ratione illius culpa manere referuata. Secundo immediate & in se, quia diuersa est iurisdicctio necessaria ad absoluedum a culpa, & a censura; haec enim pertinet ad forum contentiosum, illa ad forum poenitentiae: potest ergo vel altera tantum iurisdicctio tolli, vel vtraque: & quando hoc posteriori modo fit, tunc dicitur, tam censura, quam culpa immediate & in se referuari.

Videri ergo potest haec referuatio sistere in censura, & solum mediate & quasi per accidens redundare in culpam. Primo ex decretis, in quibus huiusmodi censurae feruntur, & referuantur: nam primo propter culpam imponitur censura, & deinde dici solet a qua absolui non possint, nisi a Romano Pontifice, vel in ea permancant, donec Apostolico conspectui se praesentent, vel quid simile. Deinde a posteriori patet: quia ablata censura statim manet peccatum non referuatum, ut omnes doctores docent: ergo signum est solum fuisse ablatam iurisdictionem circa censuram alias etiam ablatam censuram, adhuc manere posse referuatio culpae. Vel aliter (& fere in idem redit) quia concessa

sa iurisdictione ad absoluedum a censura, potest quis absolue a culpa ex vi iurisdictionis, quam antea habebat: ergo signum est solum censuram fuisse in se referuatum: alioqui hac concessa, non statim sequeretur esse concessam etiam: nam quoad hoc non sunt connexae: quia potest aliquis absolue a censura, & non a culpa, ut index Ecclesiasticus non sacerdos, vel qui tantum habet iurisdictionem fori contentiosum. Tandem hic modus referuationis sufficit ad intentionem referuantis: quia hoc satis est, ut homo absolui non possit, etiam a culpa, & sufficit ad saluanda verba decreti referuantis: & alioqui, cum res sit odiosa, est mitiori modo interpretanda: ergo, Arque hanc partem multum in sinuat Durand. dicta q. 15. nu. 13. Indicat etiam Caiet. in Sum. verb. *Casus* dum ait, *Solos illos casus esse referuatos Sedi Apostolicae, quos Ecclesiastica censura, hoc est, excommunicatio referuat.* Et infra ait, *censuram esse quasi adaequatam ratione huius referuationis, ideoque illa ablata, omnino tolli referuationem.*

ASSERTIO.

Nihilominus dicendum est, per referuaciones Potificias etiam culpas ipsas in se referuari. Hec est communior sententia Theologorum in 4. d. 17. referuati, vbi D. Th. q. 3. art. 4. q. 2. ad 4. Palud. q. 5. art. 1. Gabr. D. Th. q. 1. art. 3. dub. 2. Maior q. 5. Soto d. 18. q. 2. art. 5. & idem sentit Nauar. in Sum. c. 27. n. 271. Cui sententiae multum fauet Concilium Trident. sess. 14. c. 7. vbi licet loquatur de potestate, tamen satis clare indicat se loqui de illa prout de facto in Ecclesia exercetur a Summis Pontificibus, de quibus propterea ait potuisse causas aliquas criminum pro suprema sui potestate in Ecclesia referuare: vbi non sine causa de praeterito ait, *potuisse*, quia de illa potestate agit prout in usum iam sepius exiuit, seu exire solet: & ibi aperte loquitur de referuacione criminum, nulla facta mentione censurarum: & infra, de Episcopis agens, ait, *posse referuare peccata, praeterim quae habent censuram annexam.*

Ratio a priori est, quia haec est intentio Pontificum referuantium, quae ex eorum verbis, & decretis a nobis colligitur, quam interpretationem maxime confirmat communis usus Ecclesiae, & communis sensus interpretum, patebitque a tunc confidenter singula decreta. Ex quibus duo tantum exempla afferam: primum est antiquissimum ex c. *Si quis suadente*, 17. qu. 4. in quo fertur prima omnium referuacionum Papalium, & ideo videtur esse veluti exemplar ceterarum omnium, & tamen ibi de percussore clerici primum dicitur, *Anathematis vinculo subiaceat: & postea subditur, & nullus Episcoporum illum praesumat absolue, nisi mortis urgente periculo, donec a postolico conspectui se praesentent, &c.* Vbi aduerto absolucionem, quae referuatur, nullo modo referri ad censuram tantum, sed simpliciter ad ipsum peccatorem anathematis vinculo subiacentem: ergo simpliciter totum hoc referuatur: scilicet, tam peccatum, quam censura. Aliud exemplum est nouissimum ex dicto Motu proprio Sixti V. vbi licet peccatum illud habeat annexam suspensionem; tamen non sola suspensio, sed etiam culpa referuatur, ut ex verbis eiusdem Pontificis supra expendimus. Et in hac censura est per se manifestum: quia illa non impedit absolucionem a culpa: & ideo quantumcunque censura esset referuata, nullo modo referuaretur culpa, nisi referuatio immediate & per se in ipsam cadere.

Atque hinc possumus a posteriori hoc confirmare etiam in censura excommunicationis. Nam licet contingat aliquem sic excommunicatum bona fide absolui prius a peccatis absque absolucione censurae, nihilominus non est valida absolucio etiam a culpa tali: nam tenetur illam postea sacramentaliter confite-

Dubitatio quaedam soluitur.

Culpa duobus modis potest referuari.

Videri potest sistere in censura.

Durand. Caiet.

Culpae eius referuati, vbi D. Th. q. 3. art. 4. q. 2. ad 4. Palud. q. 5. art. 1. Gabr. D. Th. q. 1. art. 3. dub. 2. Maior q. 5. Soto d. 18. q. 2. art. 5. & idem sentit Nauar. in Sum. c. 27. n. 271. Cui sententiae multum fauet Concilium Trident. sess. 14. c. 7. vbi licet loquatur de potestate, tamen satis clare indicat se loqui de illa prout de facto in Ecclesia exercetur a Summis Pontificibus, de quibus propterea ait potuisse causas aliquas criminum pro suprema sui potestate in Ecclesia referuare: vbi non sine causa de praeterito ait, potuisse, quia de illa potestate agit prout in usum iam sepius exiuit, seu exire solet: & ibi aperte loquitur de referuacione criminum, nulla facta mentione censurarum: & infra, de Episcopis agens, ait, posse referuare peccata, praeterim quae habent censuram annexam.

Ratio a priori.

Ratio a posteriori.

Differentia inter excommunicationem reservatam & non reservatam.

Distinctione fundamentum contrariae sententiae.

Trident.

confiteri: ergo signum est sublatam fuisse iurisdictionem non solum ad absolvendum a censura, sed etiam immediate ad absolvendum a culpa. Et haec est magna differentia inter excommunicationem non reservatam, & reservatam, quod illa non tollit iurisdictionem ad absolvendum a culpa, quamvis prohibeat prius ab illa absolvere, quam a censura, & id eo, si casu, vel etiam ex malitia confessoris inuertatur hic ordo sine culpa poenitentis, qui bona fide absoluitur a culpa, non praemissa absolutione a censura, sacramentalis absolutio valida est: quia nihil deest, quod sit de substantia eius, vt infra tractando de excommunicatione latius dicturi sumus: in praesenti autem absolutio sacramentalis a culpa nulla est, non obstante bona fide poenitentis, vt nunc supponimus, & ex dicendis constabit: ergo signum est aliquid necessarium ibi deesse: hoc autem nihil esse potest nisi iurisdictione sacerdotis: quia ex parte poenitentis nihil deest: ergo per talem reservationem aufertur iurisdictione in ipsam culpam; nihil autem aliud est culpam in se & immediate reservari.

Ad fundamentum autem contrariae sententiae, iam ostentum est ex decretis ipsis colligi hunc modum reservationis. Quod etiam confirmari potest ex ca. Nuper, de Sentent. excomm. ibi, Ab eo, vel eius superiore sit absolutio delicti requirenda: expendo enim vocem delicti: & similia sunt multa. Quod si aliquando videantur verba reservationis referri specialiter ad censuram, non obstat: quia temper intelliguntur iuxta commune ius, & praxim Ecclesiae, quae habet, vt in reservationibus Papalibus haec duo coniuncta sint, culpa, & censura: quauis enim vtraque in se referretur, non tamen vna sine alia. Per quod patet responsi ad aliud argumentum a posteriori: fateamur enim per se, & ex sola rei natura non bene sequi, reservatam censuram, esse reservatam culpam. Vnde Nauarr. supra dicit, Episcopo posse reservare sibi censuras, non culpas: de quo mihi non constat, nisi fortasse in censura ab homine, quae secum veluti affert reservationem, quatenus solus ille, qui eam tulit, vel superior potest eam auferre: quamuis necesse non sit, culpam, propter quam fertur, in se manere reservatam. Itaque haec non sunt connexa per se & ex propriis rationibus, tamen ex vso Pontificum vna non reservatur sine alia. Et ideo, sicut a principio habent hanc connexionem quasi in fieri, vt sic dicam, ita etiam in conservari seu in duratione sua: & inde est, vt ablata censura, censetur reservatio culpae sublata. Hinc etiam est, vt concessa potestate ad absolvendum a tali censura, censetur concessa ad absolvendum a culpa, & e converso: quae vnicui verbo dici solet potestas absolvendi a cibus reservatis Pontificis, vt loquitur Concilium Tridentinum. sess. 24. c. 6. & loquuntur multa privilegia, per quae constat non dari tantum iurisdictionem tollendi censuram: sed etiam culpam: quia sine tali privilegio neutra haberetur: ergo illa consecutio non in eo fundatur, quod culpa non fuerat per se reservata: sed in hoc, quod vtraque iurisdictione in foro interno coniunctum datur. Ultima denique confirmatio ex ratione in contrarium facta soluta est: nam ex ea constat maiorem esse reservationem culpae hoc modo factam, quam priori, & consequenter, non aliter satisfieri intentioni reservantis: nam de illius verbis iam satis dictum est.

SECTIO III.

Vtrum omnia, & sola peccata mortalia reserventur, vel etiam reservari possint.

An peccata mortalia.

Principio quaeri hoc loco solet, an possint venialia peccata reservari. Et qui sentiunt ad absolvendum ab his peccatis non esse necessariam iurisdictionem,

vel illam datam esse omnibus sacerdotibus iure diuino, consequenter negant haec peccata reservari posse, quibus fauet usus Ecclesiae, quae nunquam concessit haec peccata reservare. Nos vero diximus absolutionem ab his peccatis non dari sine iurisdictione, eamque a Summo Pontifice manare ad reliquos sacerdotes. Ex quo plane sequi videtur, posse hanc iurisdictionem limitari, & consequenter posse aliquod peccatum veniale reservari. Et declaratur in hunc modum: quia propter peccatum veniale potest incurri aliqua censura: scilicet, excommunicatio minor: possent ergo Pastores Ecclesiae reservare sibi absolutionem a tali censura: ergo & absolutionem culpae propter quam imponitur. Denique aliqui referunt inter alia in religionibus aliqua peccata venialia reservari.

Respondeo breuiter, non repugnare peccati veniale reservari quoad hoc, vt non possit sacramentaliter remitti, nisi a tali vel tali ministro, vel (quod perinde est) vt non possit ex confessione talis peccati confici hoc sacramentum, nisi coram tali iudice fiat: & hoc probat posterior ratio. Nihilominus non possunt peccata venialia ita reservari, vt maneat obligatio ea confitendi superiori referuanti: quia simpliciter nulla est obligatio confitendi haec peccata, possuntque tolli alio modo sine villo ordine ad hoc sacramentum: neque hoc potest Ecclesia impedire. In quo est magnus discrimen inter venialia peccata, & mortalia. Atque hinc tandem fit, vt talis reservatio venialium peccatorum sit fere inutilis, ideoque non sit in usu Ecclesiae: quia, licet reservetur hoc peccatum, poterit a poenitente in confessione taceri sine culpa, vel, etiam dicatur, & confessor nolit ab illo absolvere, poterit cogi a poenitente, vt ab aliis absoluat, si satis illi est, cum non maneat ei obligatio tale peccatum iterum confiteri. Merito ergo talis reservatio non est in usu, praeterquam quod est improporcinata cum toto genere peccati venialis: nam reservatio introducta est propter grauitatem delictorum, a qua longe distat totus ordo venialium peccatorum. Atque haec doctrina locum etiam habet in peccatis mortalibus semel confessis: illa enim simpliciter reservari non possunt, ita vt poenitens maneat sub obligatione illa iterum confitendi: suppono enim fuisse absolute ac per se remissa. Reservare autem illa solum, vt per absolutionem talis sacerdotis sacramentaliter iterum non remittantur inutile esset, & infructuosum, vt ex dictis a fortiori patet. Et ideo ex sententia omnium, postquam peccatum reservatum semel est per absolutionem per se & absolute ablatum, amplius reservatum non manet, vt in sequenti disp. latius declarabitur.

Secundo dubitari potest de peccatis mortalibus mere internis, quae sola cogitatione consummatur, an reservari possint. Videtur enim non posse: quia Ecclesia nihil potest per se praecipere circa actus mere internos: ergo neque etiam potest illos reservare. Vnde etiam consuetudo Ecclesiae observat, vt talia peccata non reserventur. Item Ecclesia non potest propter haec peccata censuras imponere: ergo nec potest illa reservare. Et fortasse qui putant iurisdictionem ad absolvendum a peccatis datam esse iure diuino, dicerent, non posse Ecclesiam illam limitare circa actus mere internos, sed solum circa exterios. Veritas tamen est, in rigore non deesse in Ecclesia potestatem ad reservanda haec peccata. Ita docuit Caiet. 2. 2. quaest. 11. art. 5. & Soto dist. 18. quaest. 2. ar. 5. Ledesma 1. p. 4. quaest. 8. artic. 2. dub. 10. Et ratio est, quia omnis iurisdictione in hoc foro communicatur inferioribus per superiores pastores, tam ad absolvendum ab externis, quam ab internis culpis: ergo circa vtraque possent, si vellent, illam iurisdictionem limitare, atque ita peccata interna reservare. Vnde, licet Ecclesia in foro exteriori nihil possit circa haec peccata, & ideo nec specialiter illa prohibere, nec punire valeat; tamen in hoc foro habet iurisdictionem,

possint reservari.

Quaestio respondetur.

An peccata mortalia mere interne possint reservari.

Quaestio Caiet. Soto Ledesm.

vt de eis iudicium ferat, & ipse peccator iure diuino tenetur ea deferre ad hoc iudicium, & in eo esse sui accusator, & testis contra se: ideoque etiam posset Ecclesia iudicium de his peccatis internis committere designatis quibusdam iudicibus. Quod aliquo modo fecit per diuisionem iurisdictionum: non enim quilibet sacerdos potest ab his peccatis mortalibus mere internis absolueri, sed tantum illi, quibus data est per Summum Pontificem ordinaria vel delegata iurisdicção. Per modum autem reseruationis hoc Ecclesia ordinarie non facit, sed quibus committit iurisdictionem ad absoluendum peccatis mortalibus, dat iurisdictionem absolutam ad absoluendum ab his internis, non quia non posset eam limitare, sed quia non iudicauit expediens id facere, eo quod illa peccata sint per se occulta, & non inferant noxium aliis, nec moraliter loquendo, indigeant speciali curatione, quæ ab ordinariis iudicibus adhiberi non possit. Hoc autem non obstante, nonnulli pralati peccata aliqua mere interiora sibi reseruare cœperunt, maxime heresim mentalem. Quod factum aliqui viri docti non probant: quia est alienum ab vniuersali Ecclesie consuetudine, quæ videtur declarare ex Pontificum, & Ecclesie voluntate materiam hanc non esse capace[m] reseruatiõnis. Ego verò solum nunc assero, illam consulendam non esse, si tamẽ fiat, seruanda esse. Ratio autem contra hanc potestatem facta, soluta iam est. Neque est simile, quod de censura asserbatur, quia censura est pena pertinet ad iurisdictionem fori contentiosi, quæ non extẽditur ad actus mere internos: reseruatio autem non est pena, sed est limitatio iurisdictionis fori poenitentialis, quæ per se cadit in actus pure internos.

An omnia peccata mortalia reseruari possint.

Atque hinc constat a fortiori, nullum esse peccatum mortale externum, quod reseruati non possit quantum est ex se, vt eadem ratio ex iurisdictione sumpta conuincit. Quæri vero vterius solet, an sicut possunt omnia diuise reseruari, possint etiam collectiue, sed hoc nullam habet nouam difficultatem. Potest enim Ecclesia aliquibus sacerdotibus non dare iurisdictionem ab illo peccato mortali: nam hoc modo se habet nunc circa simplices sacerdotes: illa vero non dicitur propria reseruatõ, de qua nunc agimus, sed est potius totalis negatio iurisdictionis ad absoluendum à peccatis mortalibus, reseruatõ autem dicit limitationem seu partialem priuationem talis iurisdictionis. Clarum est autem non posse hoc modo totam iurisdictionem ad absoluendum, ab his mortalibus auferri ab omnibus Ecclesie sacerdotibus infra Summum Pontificem, neque etiam ab omnibus ordinariis pastoribus: nã illud esset contra rationem sui muneris, & contra utilitatem ipsorum poenitentium, vt per se notum est. Quod maxime verum habet respectu secularium. Inter religiosos vero ferunt interdum fuisse vstitum, vt omnia peccata mortalia exteriora essent reseruata superiori. Sed hic modus reseruatiõnis nimis onerosus, & periculosus esset subditis in quo cũque statu existẽtibus, & ideo probandum non est. Nunc vero ex speciali decreto edito à S. D. N. Clemente octauo, anno 1594. non solum hoc est religiosis prohibitum, sed etiam certi casus præscripti, quos reseruare possint, quos infra numerabimus. Ex quo tandem concluditur, quauis absolute, omnia peccata mortalia exteriora diuise sumpta reseruari possint, tamen licite, & secundum rectum ordinem nõ quilibet posse reseruari, sed ea tantum, quæ habent specialem grauitatem huic rigori proportionatum, vt in sequenti seet. amplius explicabimus.

Quæ peccata de facto reseruata sint.

Iam vero inquirendum superest, quænam peccata de facto reseruata sint: quod tam de Pontifice quam de Episcopis inquiri potest: nam de Parochis iam diximus, nulla peccata specialiter eius reseruari, & ideo nihil est quod de illis dicamus, sed loco

A eorum dicemus aliquid de superioribus religiosorum, quibus interdum sic reseruatõ, licet sint immediati pastores. Quoniam vero Summi Pontifices sibi peccata non reseruant, secundum ordinariũ ius, nisi cum adiuncta excommunicatione sibi reseruata ideo de casibus Pontificis nihil hoc loco dicemus vsq[ue] ad materiam de excommunicatione, vbi omnes sigillatim numerabimus, & explicabimus. Quoad Episcopos vero tribus modis intelligi potest eis fieri hæc reseruatõ. Primus est per statuta Episcoporum: de quibus nihil dicere possumus, quia pendet ex facto, & in variis diocesis sunt varia, ideoque in singulis diocesis consulendæ sunt constitutiones synodales. Secundus modus est per consuetudinem, de quo idem dicimus, quia etiam consuetudo est varia, & pertinet ad factum, vbi tamen de illa confiterit, seruanda est. Tertius modus ea iure communi, & ita solent quinque, vel sex casus numerari iure communi reseruati Episcopis ex Extrauag. Super cathedram, de sepulchris.

#### ASSERTIO.

Mihi autem videtur ex solo iure communi, & conclusa consuetudine, nullum peccatum esse reseruatum Episcopis. Omitto dispensationes votorum, & similia, quæ Summi statim numerant inter hos casus reseruatos improprisime, vt Nauarrus optime aduertit, quia hic non agimus de omni actu iurisdictionis, præsertim exterioris, sed solum de reseruatiõne culpæ in ordine ad abolitionem sacramentalem. Probo ergo assertionem primo, quia ex dicta Extrauag. non sumitur argumentum firmum, nam profus reuocata est in Clement. Dabam, de Sepulchris. Et licet aliqui contendant non esse reuocata[m] simpliciter, sed quoad aliqua, quod significat Glossa ibi, & Syluester verb. Casus: tamen verbaruocatiõnis absoluta sunt. Omnino cogamus. Et quantum non esset vniuersalis, haberet locum in hoc puncto: nam spectabat ad restringenda privilegia Mendicantium, quæ restrictio in alio textu tollitur. Ad præterea, Pontificem ibi non condidisse nouum ius de reseruatiõne casuum, sed obiter reuocasse casus, qui tunc erant reseruati communi iure, aut consuetudine: & forsasse tunc illi casus erant recepti nunc autem ex vi illius iuris non oportet reseruatiõnem durare. Et ita in primo casu ibi numerato, qui est, quando peccatum habet ex iure annexam poenitentiam publicam, omnes fatentur iam non esse in vsti, quia hæc poenitentia iam sublata sunt: & hi quæ supersunt, pertinent ad forum contentiosum, nec ratione illarum reseruantur peccata, nisi etiam habeant censuram annexam.

Secundus casus est, quando habet excommunicationem maiorem annexam. Sed hoc solũ est verũ, quando excommunicatiõ per se est reseruata Papæ, & in aliquo particulari casu committitur Episcopo in iure, v.g. sepe fit in excommunicatione canonis. Si quis suadente, & in Tridentino sess. 24. cap. 6. fit in omnibus occultis: tunc enim illa non est tam reseruatiõ, quam delegatiõ. At vero quando excommunicatiõ simpliciter fertur in iure, nulla fit reseruatiõ Episcopo, sed quilibet Parochus: vel alius æqualis illi in iurisdictione potest & à culpa, & tali excommunicatione absolueri, iuxta, capit. Nuper, de Sent. excommun. in 6. Et in hoc etiam conueniunt Angelus verb. Casus, Nauarr. num. 262. & omnes. Neque excipio excommunicationem reseruatiõnem Episcopo, quia existimo directe & proprie nullam talem esse in iure: quoad alibi, Deo date, ostendam. Dico etiam, in excommunicationibus reseruatis Episcopis per eorum statuta, vel sententias non statim haberi, quod ipsa peccata in se maneant reseruata: quia, vt dixi, illa duo sunt distincta: imo interdum potest reseruatiõ censura, & non culpa. Consideranda er-

Tribus modis fit Episcopo reseruatõ. Primo. Secundo.

Tertio.

Ex solo iure communi nullum peccatum esse reseruatum Episcopis nisi in iurisdictione.

Syluester.

Trident.

Angel. Nauarr.

da ergo sunt verba referuationis, consuetudo, & po-

testas referuantis. Tertius casus est si peccatum habeat annexam irregularitatem. Sed veritas est, dispensationem irregularitatis esse referuatam, vel Pontifici, vel Episcopo, si sit occulta. Cuius autem per se referuata non estimo, stante irregularitate, potest quis absolui a tali culpa, a quolibet proprio: quia irregularitas (in quo inter alia differt ab excommunicatione) non impedit sacramentorum susceptionem. Et hæc est etiam sententia communis ex Caietan. verb. Irregulariter, & Nauarro, & Angelo supra, & Syluestro ver. Casus, q. 3. Et sumitur etiam ex Glossa in cap. Si Episcopus, de Pœnit. & remiss. quam sequuntur Hostiensis & alij, qui, numerantes casus Episcopales, huius mentionem non faciunt.

Caiet. Nauar. Angel. Syluest. Hostiens.

Quartus casus est de peccato incendiarij, qui numeratur in dicta Extrauag. Sed iam dixi, ex vi illius textus nullam habere referuationem. Solet tamen præterea colligi hic casus ex capit. Pessimam, 23. q. 8. Sed ibi nullam inuenio referuationem, sed solum præceptum quoddam, vt talis peccator non absoluitur, nisi tali, vel tali pœnitentia imposita, in qua Episcopus dispensare non possit: ibi tamen non limitatur absolutio, vel impositio pœnitentiæ ad solum Episcopum. Nihilominus Nauar. dicit hunc casum esse receptum communi opinione, & vsu: quod si ita est, erit referuatus ex vi consuetudinis, non ex vi iuris. Adueruo etiam obiter, hoc peccatum non habere iure excommunicationem annexam, tamen, si semel ab homine feratur excommunicatio, ratione illius statim manet referuata Papæ, ex capit. Tuam, de Sent. excom.

Quintus casus est publica blasphemia ex cap. Statutum, de Maledicis. Tamen ibi solum est sermo de pœnitentia propter hoc peccatum iniungenda in foro exteriori, vt etiam Nauar. aduertit. Vnde in Concilio Later. sub Leone X. sess. 9. in tit. de Reformatione curiæ, §. Ad abolendam, imponitur specialis pœna propter hanc culpam in ordine ad forum cœntentiosum. Vterius vero præcipitur confessoribus, vt ab hoc peccato non absoluant, nisi scruera imposita pœnitentia: supponitur ergo posse absolueri. Alij præterea casus numerantur in illa Extrauag. Inter cunctas, qui non dicuntur iure referuati, sed consuetudine, quæ consuetudo ibi approbatur, & coarctatur ad homicidas voluntarios, falsarios, violatores Ecclesiasticæ immunitatis, & sortilegos. Quos casus Syluest. verbo Casus, q. 4. Nauar. & Ang. supra variis modis amplificat, scilicet homicidium, ad mutilationem, peccatum falsarij ad peccatum tacendi veritatem coram iudice legitime interrogante, & ad peccatum aduocati, procuratoris, & notarij ostendentis parti aduersæ scripturas alterius: & peccatum violationis immunitatis ad plura alia sacrilegia. Que omnia ipsi nullo iure probant, cum tamen materia ex se, cum sit odiosa potius restrictionem postulet, quam ampliationem. Neque in ea valet argumentum à simili, neq; à paritate rationis, sed præcise standum est verbis legis, si hæc essent iure referuata: tamen, quia hæc non dicuntur referuata ex vi iuris, sed ex consuetudine, illa consulenda est, vt feratur iudicium, tam de casibus, quam de ampliationibus eorum: forte enim vniuersalis non est, neque eiusdem modi in omnibus Episcopatus. Quod vero Nauar. addit de peccato vsurpandi, vel retinendi incerta bona, non video quod habeat fundamentum.

Syluest. Nauar. Angel.

Superest vt dicamus de religiosis, quorum instituta singula non sunt hoc loco à nobis explicanda, sed solum adnotanda supra notata constitutio Clementis VIII. in qua hæc tantum peccata voluit esse posse religiosis referuata. Primum, veneficia, incantationes, sortilegia. 2. Apostasia à religione, siue habitu dimisso, siue pretento, quando eo peruenit, vt extra septa monasterij

Peccata referuata. ligisti à S. D. N. Clem. VIII.

A seu conuentus fiat. 3. Nocturna acfurtiua è monasterio seu conuentu egressio, etiam non animo apostandis facta. 4. Proprietas contra votum paupertatis, quæ sit peccatum mortale. 5. Iuramentum falsum in iudicio regulari, seu legitimo. 6. Procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum post animatum factum, etiam effectu non consumato. 7. Falsificatio manus, seu sigilli officialium monasterij, aut conuentus. 8. Furtum de rebus monasterij seu conuentus, in ea quantitate, quæ sit peccatum mortale. 9. Lapsus carnis voluntarius opere consummatus. 10. Occisio, aut vulneratio, seu grauis percussio cuiusque personæ. 11. Malignum impedimentum, aut retardatio, aut apertio literarum à Superioribus ad inferiores, vel ab inferioribus ad superiores. Est autem circa hos casus aduertendum primo, non statui à Pontifice, vt omnes hi casus sint in Religionibus referuati, sed permitti tantum vt Superior religionis possit hos casus sibi referuare, aut omnes, aut eorum aliquos, prout subditorum vtilitati expedire prudenter in Domino iudicauerit: prohiberi autem ne superiores regularium, præter hæc peccata, alia sibi referuent, propria, scilicet auctoritate. Addit enim statim ibidem Summus Pontifex, Si quod aliud præterea peccatum graue pro religionis conseruatione, aut pro conscientia puritate, referuandum videbitur, id non aliter fiat, quàm generalis Capituli in toto ordine, aut Prouincialis in Prouincia maturæ discussione, & consensu.

Ex quibus verbis colligi videtur, non relinqui potestatem Superioribus religionis, vt pro aliqua particulari domo casum aliquem referuent, sed tantum pro tota religione, vel pro tota aliqua prouincia: & tunc potestas non conceditur Generali, aut Prouinciali per se, sed cum consensu Capituli generalis, aut prouincialis. Nihilominus tamè existimo, & ad bonum regimen alicuius domus expediret, specialiter in ea peccatum aliquod referuare, posse Superiorem cum consensu Capituli prouincialis huiusmodi casum, vel casus referuare: quia Pontifex ibi non præscribit, vt peccatum necessario referuandum sit pro tota religione, aut tota prouincia, sed solum ait, Si peccatum aliquod graue pro religionis conseruatione, aut conscientie puritate referuandum videbitur: potest autem pertinere ad conscientie puritatem, vt in vno loco fiat referuatio, quanuis non fiat in alijs, vt v. g. si locus sit expositus maioribus periculis, & ideo necessarium sit aliquid in eo seuerius præcipi, & obseruari. Requiritur autem etiam tunc consensus Capituli prouincialis: quia Summus Pontifex, nec soli personæ alicuius Superioris, nec soli Capitulo vnus domus hanc potestatem committit. Nec refert, quod id non fiat pro tota prouincia: nam satis est, vt fiat in aliqua parte eius: quidquid enim Prouincialis agit in aliqua domo prouinciæ suæ, vere dicitur agere in sua prouincia: neque aliud Summus Pontifex requirit.

Solet autem interdum Abbas, aut Rector domus aliquid prohibere sub excommunicatione ipso facto incurrenda, illius absolutionem sibi referuando, vt v. g. ne religiosus cum è monasterio cum facultate egreditur, in aliquo domo ciuitatis ingrediat, tur sine speciali Superioris voluntate, vel quid simile. Et ideo quaesitum est, an post hanc ordinationem Clementis possint Superiores regularium domorum hanc referuationem facere. Videntur enim non posse sine consensu Capituli prouincialis, quia omnis casuum referuatio illis interdicta est: hæc autem est cuiusdam casus referuatio, quia, referuata excommunicatione, non potest religiosus ille absolui à sua culpa, nisi à suo Superiore, quod est contra Pontificis intentionem. Atq; ita aliquibus vitis oppositi visum est. Ego tamen oppositum censeo probabilius, nimirum hanc potestatem non esse ablatam Prælati religionum: quia Clemens expressè loquitur de referuatione culpæ. Verba enim eius sunt, Nemo ex regularium Superioribus peccatorum absolutionem sibi referuet, exceptis iis, &c. In casu autem proposito non

ix

ii Dubium

Prima sententia

Oppositi sententia probatur

non reservatur peccati absolutio, sed censura quæ longe diuersa est, & ad diuersum forum, & iurisdictionem spectat. Nec satis est, quod, per se loquendo, non potest dari absolutio à peccato non ablata censura: hoc enim accidentarium est: sufficit enim quod non sit idem, vt ab vna ad aliam non sit prohibitio extendenda, præsertim cū respectu Superiorū sit onerosa, & vsum iurisdictionis restringens. Accedit, quod non est dubium, quin possunt hi Prælati huiusmodi excommunicationes ferre, sicut antea poterant: talis autem excommunicatio est ab homine, cuius absolutio veluti ex natura sua est reservata iudici ferenti: sicut ergo per constitutionem hanc non est ablata potestas ferendi excommunicationē ab homine, ita nec prohibita est talis censuræ reservatio. Verum est illam censuram non esse per sententiam specialem, sed per generalem, de qua est probabilis opinio, non magis esse de se reservatam, quàm censuram à iure, veruntamen & opposita opinio non caret probabilitate, vt suo loco videbimus: & præterea qui fert sententiam, potest hanc intentionem suam, & mentem declarare, & tunc non est dubium quin id operetur præcise circa censuram, & non circa culpam. Quare, si ita fiat, non censeo hoc per se prohibitum ex vi huius constitutionis, quanquam melius censebimus id non facere sine speciali Capituli provincialis consensu ad omnem dubitationē tollendam.

SECTIO IV.

Virum peccata possint reservari pro arbitrio Superioris absque legitima causa.

An licite fiat dicta reservatio.

**D**uplex potest esse quæstionis sensus. Vnus est, an hoc possit fieri licite, alius, an valide. Prior sensus difficultatem non habet: nam certum est, superiores non licite facere hanc reservationem, nisi ex iusta causa, quia per se est onerosa subditis, & reddit difficilem vsum sacramenti, & ideo non potest licite fieri pro sola voluntate Superiorum, sed pro utilitate subditorum, ad quam hæc potestas principaliter ordinatur, quod amplius in sequentibus explicabitur, & confirmabitur. Vt ergo dicamus de alio sensu, distinguendum est de hac reservatione facta tantum in ordine ad delegatum, vel in ordine ad alios ordinarios pastores inferiores. Nam respectu delegati certum est ex consensu Doctorum, quos referemus, validam esse reservationem, quantum solo arbitrio sine necessaria causa fiat. Cuius ratio est: quia qui hoc modo committit alteri iurisdictionem suam, non ex debito iustitiæ, sed ex sua voluntate id facit: ergo potest non totam, sed partem iurisdictionis committere ex eadem tantum voluntate: ergo potest dare iurisdictionem ad quædam peccata, & non ad alia, quod est illa reservare.

Respondetur quantum ad delegatos.

Limitatio.

Reprobatur.

Dicitur vero aliqui, etiam si hoc verum sit in prima concessione iurisdictionis, tamen postquam semel tota delegata est, non posse per reservationē coarctari sine causa. Tamen, loquendo de absoluta potestate, non est necessaria limitatio: quia delegatio non est absoluta donatio, sed quedam concessio, quæ semper pendet à voluntate delegantis: & ideo sicut potest eam reuocare, ita & coarctare. Soli sunt obseruanda duo. Vnum est, quod licet ex parte delegati per se non sit iniuria in hac reservatione: ex parte vero subditorum, propter quos hæc iurisdictionis delegatur, poterit esse illicita, si absque rationabili causa, & imprudenter fiat: nam Pastores Ecclesie non habent hanc potestatem tanquam absoluti domini, vel propter suum commodum, sed vt Christi Vicarij propter bonum ouium: & ideo, si per hanc reservationem nimium onerosi sint subditis, vel ex-

ponant eos aliquibus periculis, grauius peccabunt contra charitatem, abutēdo potestate sua. Sicut etiam male facerent non delegando absolute hanc iurisdictionem aliquibus cum eisdem in commodis ouium. Nunquam tamen audeam dicere talem reservationem esse irritam, vel nullam, propter similem imprudentiam referentis: quia nunquam est contra iustitiam, nec deest absoluta potestas. Et sæpe accidit vt vsum potestatis habeat effectum, etiam minus prudens sit, & rationalis, vt in superioribus factum est, & patet in dispensationibus, & similibus, & maxime in effectibus negatiuis, qualis est hæc reservatio; tantum enim est non concessio iurisdictionis quoad aliquam partem. Cauendum præterea est postquam semel facta est delegatio, ne illius coarctatio, aut reuocatio sine rationabili causa facta, cedat in infamiam ipsius delegati: nam ex hac parte posset esse illicita: præsertim continget, quando ad certum tempus commissio est facta, & ante illud lapsū reuocatur, tamen hoc totum accidentarium est.

Quando vero reservatio fit respectu inferioris pastoris habentis ordinariam iurisdictionem, maior est difficultas, quia inferior habet intrinsecum & proprium ius, & ideo est varietas opinionum. Prima absolute dicit esse nullam. Ita sentit Soto supra circa 2. argum. & Ruard. art. 3. Effetque hæc sententia necessaria, si omnes hi pastores haberent iurisdictionem iure diuino: nam quoties aliquo modo im-

mutatum est ius diuinum, vt valida sit actio, requiritur: causa: propter hoc enim dispensatio, v. g. in iunio, quantum illicita, & sine causa concedatur Papa, valida est, quia est tantum in iure humano: dispensatio autem in voto, si fiat sine causa, non solum illicita, sed etiam nulla est, quia attingit ad quomodo ius diuinum; sic ergo in præfenti, &c. Quia vero non admittimus illud fundamentum, potest hoc modo ratio induci: quia pastores, saltem ex suppositione officij, habent intrinsecum, & naturale ius ad suam iurisdictionem: ergo saltem hoc titulo non possunt sine causa illa priuari, nec licite, nec valide. Confirmatur, quia postquam aliquis recepit Episcopatum, aut beneficium, non potest illo priuari sine causa. Similiter nullus potest suspendi ab officio, vel beneficio, solo arbitrio alterius sine causa, eritque talis suspensio nulla, si fiat: ergo similiter in præfenti.

Secunda opinio absolute affirmat talem reservationem esse validam. Ita sentit Syluest. Confessor. 1. q. 3. & Henric. quodlib. 1. q. 27. Fundamentum est, quia superior semper conferit iurisdictionem dependentem à sua voluntate: & ideo, si auferat illam circa aliquod peccatum, factum tenet, etiam si forte sine conuenienti ratione id faciat. Quæ opinio valde probabilis est.

Tertia opinio distinguit inter Summum Pontificem respectu omnium inferiorum, & Episcopos respectu Parochorum: & de Pontifice approbat secundam sententiam propter fundamentum eius, & quia à Pontifice manat omnis iurisdictionis in Episcopis vero approbat primam sententiam. Ita sentit Maior d. 17. quæst. 1. & Angelus verb. Casus, & non displicet Soto. Fundamentum autem posterioris partis est, quia institutio, & iurisdictionis Parochorum non est ab Episcopis, sed à Summo Pontifice: & ideo nec Parochias diuidere, aut mutare, neque aliquid simile facere possunt Episcopi propria potestate, nisi à Pontifice delegentur: vt sumi etiam potest ex Concilio Trident. sess. 23. cap. 4. de Reformat. ibi, Episcopis vt Apostolica Sedis delegati, &c. Ac pinde, si abque legitima causa referent, nihil faciunt. Atque hæc distinctio non caret probabilitate.

## ASSERTIO.

Disse Papam  
sine iusta  
causa refer-  
uare peccata.

**D**ico tamen, rem hanc posse speculative tractari, & practice. Et quidem de Summo Pontifice tã speculative, quam practice probabilius cenſeo validam esse reservationem ab ipſo factam; etiam si absque legitima causa fiat. Prior pars probatur ex illo fundamento, quod hæc iurisdictione confertur à Summo Pontifice, & ab illo pendet: unde non est de illa iudicandum sicut de re, quæ transit in dominium absolutum alterius, ita ut non possit illa privari: sed potius, ut de quodam inferiori iure dependente à superiore, & ordinato ad bonum subditorum, magis quam ad utilitatem habentis: & ideo ita datur à supremo pastore, ut tamen semper ab illo pendeat, quia semper manet supremus pastor, & potest, per se ipsum curare, vel iudicare oves, si velit. Quod ita confirmatur, & declaratur, quia si à principio voluisset Papa instituire Episcopum dando illi tantam iurisdictionem, & non maiorem, reuera factum teneret, quia in effectibus privatiuis sufficiens ratio eorum est, ut causa non influat, siue licite, siue illicitè faciat: ergo idem erit in reservatione, quæ fit post priorem institutionem: est enim eadem ratio. Præsertim, quia Pontifex à principio potuit hac lege & conditione iurisdictionem conferre, ut ab ipſo semper penderet, nec se priuaret iure suo, & potestate. Quod autem ita fecerit, constat, tum ex vſu, tum etiam, quia expedit bono communi ad tollenda schismata. Et confirmatur secundo, quia in aliis actibus iurisdictionis semper est efficax actus Pontificis, ut in foro contentioso Ecclesiastico si Pontifex ad se referret cuiusque causæ iudicium, valida est reservatio, etiam si sine vlla alia ratione eam referret, sed solum ex suprema potestate, ut constat ex capit. *Ad nostram*, de Appellationib. Deinde, si Summus Pontifex aliquem eximat à iurisdictione Episcoporum, factum tenet, etiam si sola sua voluntate id faciat. Similiter, si Pontifex abroget legem ab Episcopo latam, vel impediat, & irriter ferendam, vel aliquid præcipiat contra præceptum Episcopi, semper actus iurisdictionis manans à Pontifice est efficax, dummodo versetur circa materiam licitam, & quavis fortasse sine causa, vel imprudenter id faciat. Quorum omnium ratio est supra tacta: quia licet Pontifex cum Episcopis communicet iurisdictionem suam semper, tamen manet proprius, & supremus pastor & iudex, à quo ceteri inferiores pendent, & potest si velit per se ipsum curare oves suas, vel iudicare causas earum. Ergo reservatio à Pontifice facta nunquam est censenda irrita ipſo iure.

Manifestus autem hoc probatur si practice res hæc consideretur. Et signum in primis est, quia nullus Catholicus auctor hæctenus ausus est dicere reservationem aliquam in particulari factam à Summo Pontifice esse nullam, licet interdum nonnulli de multitudine reservationum conquesti fuerint. Secundo, quia in re dubia semper est timenda sententia pastoris, præsertim supremi: nunquam autem potest in particulari esse certum, reservationem fieri sine legitima causa, quia hæc non semper est gravitas peccati, sed aliæ multæ possunt esse in peccato Pontificis, quavis à subditis ignorentur: ergo nunquam potest aliqua eius reservatio in particulari iudicari prudenter nulla. Tertio ita hos declaro, quia Soto, & alij nunc maxime censent posse esse nullam hanc reservationem, quando nimia est multitudo reseruatorum casuum: hæc vero causa nunquam potest esse practice sufficiens. Interrogo enim an statim tota collectio nulla sit, ita ut iam nullus casus reseruatius maneat valide: & hoc dici non potest probabiliter, tum quia decem casus, v. g. possent valide reservari: ergo propter multiplicationem aliorum non fit statim inualida tota reservatio: tum et-

**A** iam, quia hæc reservatio omnium non fit simultanea, sed paulatim: priores ergo reservationes validæ sunt, non ergo fiunt inualidæ solum quia super addantur aliæ. Vel dicitur reservatio nulla quoad aliquos casus determinatos: & hoc etiam dici practice non potest, vel quia non est maior ratio de his, quam de illis: vel certe, quia non potest homo designare, quævis sit ille numerus casuum reseruatorum, quo impleto, reservationes, quæ postea adduntur, nullæ sunt.

**B** De Episcopis vero respectu Parochorum res est magis dubia, quia hoc pendet ex modo institutionis & dependentiæ, quam ex vi illius, & ex voluntate Pontificis Parochi iurisdictione habet ab Episcopo. Rationes autem factæ, si cum proportionem applicentur, videntur suadere, etiam hic servari proportionalem subordinationem, & dependentiam: nam semper Episcopus manet ita superior, ut possit causam aliquam sibi reservare: & quavis in conscientia teneatur id prudenter, & ex causa facere, tamen si semel faciat, videtur magis expediens ad tollendas occasiones schismatis, & ad cauenda pericula animarum, ad quarum utilitatem omnis hæc potestas ordinatur, expedit, inquam, ut reservatio semel facta, rata, & valida habeatur. Quæ omnia licet speculative non conuincant, & ideo distinctio 3. opinionis probabilitate non careat, moraliter tamen satis persuadent secundam sententiam & probabiliorē & securiorē esse. Præsertim vero non inuenio quomodo distinctio illa possit ad proximum applicari, propter dissentium superius factum: & ideo, in particulari loquendo, nunquam cenſeo reservationem esse contemnendam tanquam nullam, sed quando reservatio, aut nimia, aut irrationabilis apparuerit recurrendum esse ad superiorem, vbi illi rei provideat. Neque est necessarium, aut vtile maiorem facultatem inferioribus concedere.

**B** An Episcopi possint referuare sine iusta causa

## DISPUTATIO XXX.

*De ministro, qui potest absolueri penitentem per se, & directè à casibus reservatis.*

**D**vobis modis potest absolui huiusmodi penitens: primo directè & per se ab ipſis casibus reservatis, ad quod necesse est, ut absolvens habeat iurisdictionem circa illa, quia sine iurisdictione nemo potest ferre sententiam in aliqua causa. Secundo potest contingere, ut absoluat penitens habens casus reservatos, non tamen per se ab illis, sed ab aliis peccatis non reservatis, cum quibus indirectè, & per accidens tolluntur reservata. Vterque igitur modus absolutionis, & ministerii à nobis explicandus est. In hac vero disputatione solum explicabimus, apud quos sit hæc iurisdictione ad absolvendum directè à casibus reservatis, & quibus modis haberi possit. In sequenti autem explicabimus vſum eius, & consequenter de indirecta absolutione dicemus.

## SECTIO I.

*Quis possit directè & per se absolueri à peccatis reservatis.*

**S**uppono iurisdictionem hanc posse duobus modis haberi, scilicet, vel ut ordinariam, vel tantum ut delegatam, rursusque delegationem hanc fieri posse vel per concessionem directè factam sacerdoti, vel per licentiam datam penitenti ad eligendum confessorē: nam quoad hæc omnia eadem est ratio de iurisdictione circa